

COMMENT. IN I. CAP. SPHÆRÆ
DE PRÆSTANTIA ASTRONOMIÆ.

CUM e duobus nobilitas alicuius scientiæ, auct. Arist. sumi debeat, nempe ex præstantia subiecti, de quo agit, & ex certitudine demonstrationu, quibus ea, quæ considerat, confirmat, (Ait enim eam scientiam esse præstantiorē, nobilioremq; , quæ vel circa res præstantiores versatur, uel quæ certior est,) quanta sit Astronomiæ dignitas, ac excellentia, haud obscure ex utroq; capite cognosci potest. Si namq; subiectum, seu materiam Astronomiæ spectemus, supremum ei prope locum inter reliquas omnes disciplinas humanas, seu lumine naturali acquisitas, concedendum esse, fateri necesse est. Agit enim hæc scientia de corporibus cælestibus, quæ omnium nobilissima existunt, multas ob causas.

PRIMO quidem, quoniam sunt ingenerabilia, ac incorruptibilia, omnisq; alterationis corruptentis expertia, omni deniq; motu substantiam eorum aliquo modo variante immutabilia, cuiusmodi non sunt reliqua corpora, de quibus Philosophus naturalis disputat. Nam licet elementa, ut vult Aristoteles cum philosophis, secundum se tota non possunt generari aut corrumpi, secundū tamen partes eorum cōtinua sunt generatio ni, corruptioniq; obnoxia. SECUNDO, quia corpora cælestia sunt causa oīum horū inferiorū, ut placet Arist. 1. Mete. vbi ait, Necesse esse mūdu inferiorē superioribus latioribus continuari, ut oīs indevirtus deruetur. Item 8. Phys. asserit, oīa produci mediāte motu Cæli, ob idq; motū cælestem, vitam omnū entium nuncupare non dubitavit. Rursus 2. de cælo affirmat, cælum in hæc inferiora agere mediante lumine, & motu. Postremo 2. de Gene. & corrup. testatur, propter motum Solis, et aliorum planetarū in circulo obliquo, id est, in Zodiaco, fieri generationes, & corruptiones in hisce inferioribus; Idemq; plerisq; alijs in locis affirmat, cui fere totus philosophorum cætus astipulatur. TERTIO, quā corpora cælestia sunt propinquiora nobilissimo ac primo enti, puta, Deo glorioso, Immo secundum Averroem corpus cæleste est mediator, ac ligamentum superiorum cum inferioribus, & locus æternorum, ac divinorum; omnes etenim philosophi, ac nationes etiam quantumvis barbaræ, in cælo Deum tanq in sede collocat propria. Quamvis enim Deus non huic vel illi loco sit alligatus, sed vbiuis locorum (quod nullis alijs convenit rebus) existat; ponitur tamen in cælo, tanq in nobiliori nūdi parte, vbi maxime suam omnipotentiam, & bonitatem manifestat,